

1529

*Franciscus  
Sfortia de  
rebus suis  
Venetos co-  
sulit.*

*Granuella-  
no & Prato  
a Cæsare  
negotium de  
pace comis-  
sum.*

*Senatus  
hortatu  
Sfortia  
Bononiam  
profici-  
tus.*

tensus consilio, quidnam sibi agendum esset, Venetos consulit. Summo vero conatu Senatus nitebatur, ut unde bellorum antea origo fuerat, inde pacis initium, Sfortia Mediolano restituto, existeret. In eam rem oratori Bononiam mandata a Senatu data sunt, ut Imperatoris animum ad id suaderet, atque impelleret, & Pontificis, qui benevolo in Sfortiam animo erat, plurimumque apud Cæsarem poterat, auctoritate utetur. Magnum Cancellarium Granuellanum, ac Pratum concordiæ conditionibus tractandis Cæsar præfecerat. Primo congresu Pontifex adesse voluit; ibi post multa hinc inde agitata, Contarenus Reipublicæ orator, ut Sfortiæ Mediolanum restitueretur, gravi oratione petiit: hoc uno Italæ pacem, ac tranquillitatem niti, diutiusque conservari posse. Eodem officii genere cum Imperatore usus, ad Sfortiam complectendum, avitasque illi ditiones reddendas, Senatus nomine est hortatus. Cæsaris animum duriorem, quam arbitratus fuerat, expertus, nihil obtinere potuit; cum Sfortiæ in illum facinora commemoraret; arma adversum se sumpta; oppugnatas urbes; cum hostibus juncta foedera; neque imperatoriam decere dignitatem, ita cum subjecto, ac beneficiario agere. *Quid enim? an ex jure agi Sfortia postulat?* *Id si velit, nihil est, cur vereatur, aliquid contra fas, ac jus ab eo factum iri.* *Sin benignitatem implorat, & clementiæ se permittit: cur non ipse Bononiam petere audeat?* *Id si faciat, benevolum, ac propensum in Pontificem, ac Rempublicam Venetam animum ostensurum.* His intellectis, Senatus Marco Antonio Venerio, ut Sfortiam contendere Bononiam hortetur, mandat, honorisque illi gratia comes itineri adsit. Sfortia, accepto ab Imperatore publicæ fidei diplomate, Bononiam proficiscitur. Ut primum ad Cæsarem accessit, pro re pauca loquutus, benigneque exceptus est. Tandem, ut quid juri consentaneum esset, in Sfortiæ negotio decerneretur, decretum: id magis re sua esse Dux censuit; tum ne candori, atque innocentiae suæ diffidere, tum ne Imperatoris justitiæ parum confidere videretur.

Deinde de pacis conditionibus cum Venetis agi cœptum, cum prius mandata ad negotium peragendum a Senatu Contarenus accepisset. Multæ hinc inde subortæ difficultates longiorrem rei exitum prænuntiabant: propterea ambiguo eventu ani-